ANDREAS CAPELLANUS. PUBLIUS OVIDIUS NASO
Entstehungsort unbestimmt, 1. Hälfte 15. Jh. Seite 75r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35165
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



debeat amissione puniri. Videtur enim quod quicquid faciat
unus amantium si in eo facto non attenuatur effectus
illud debet patienter tollerare coamans et suavi
ipsum increpatione corrigere. Cui mulier. In hoc
ego quidem ero vobis amara responso. Miror tamen
si in hoc vera potuit prudentia dubitare cum amoris
regula evidenter doceamur quod amans pudiciciam
tenetur conservare amanti. Unde non immerito ex
ipsius rationabili mandati convicio quod amans in presenti
articulo sit amoris amissione mulcendus et sufficere
satis credo amoris istud mandatum esse prohibitum non
tamen nego coamanti licere si velit delinquentis ex-
cessibus indulgere. Cui sic responde. Dura
michi plurimum videntur interpretatio vestra tante
tamen auctoritate timeo refragari. Sed adhuc meum
inquietat animum secunda dubitatio talis utrum amissione
amoris mulcetur amator si ad aliam accessit fe-
minam non amandi affectu et eius nullum habuit
amandi voluntas effectum. Videtur enim quod ob tam
modicum excessum non debet tam gravem sustinere
iacturam cum alter coamans iniuriam nullam presensit.
Cui mulier. Sed et iste quoque meretur superiori
sententia damnari nisi forte spontanea penitudo deli-
cti fuerit secuta et omnimoda fidei confirmatio delin-
quentis animum mitiget coamantis. Non enim iuxta prece-
ptum amoris castitatem videtur servasse amanti cuius
impudicus conatus mentem detegit impudicam

Responsio mulieris

Responsio viri

Responsio mulieris